

www.e-rara.ch

**Davidis Macbride, Medicinæ Doctoris, Introductio Methodica In
Theoriam Et Praxin Medicinæ**

Macbride, David

Basileæ, M. DCC. LXXXIII. [1783]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-123609>

Liber V. Spasmi

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

INTRODUCTIONIS METHODICÆ
 I N
 PRAXIN MEDICINÆ
 L I B E R V.
 S P A S M I.

C A P U T I.

Tetani, catochi, & capistri, descriptio & curatio.

TETANUS, qui primum spasmodum genus constituit, in rigida contractione musculorum, truncum corporis moventium, tum priorum, tum posteriorum, consistit, cui vehementes dolores accedunt. Quum priores potissimum muscoli contrahuntur, sic, ut corpus in priora curvetur, morbus *ἑπισθότονος*, sive *ἐμπροσθότονος*, appellatur: *ὑπισθότονος* autem, quum posteriores muscoli ita contrahuntur, ut corpus in posteriora flectatur. Duæ igitur tetano subjici possent species. Sed hujus modi distinctiones ad curationem nihil conferunt, ideoque nihil, nisi generalem morbi historiam, dabimus, qui, quæ magna temperationum regionum felicitas est, raro inter nos, saltem tamquam morbus primitivus, occurrit. Supervenit omnino nonnunquam hoc spasmodum genus tendinum vulneribus,isque, quem *ὑπισθότονος* nominant, interdum febribus, quæ acrimoniam rheumaticam admixtam habent, accedit.

Frequentissimus tetanus est in regionibus calidis,

maximeque his, in quibus flagrantissimos calores repente accerrima frigora excipiunt: quales nonnullæ ex coloniis nostris meridionalibus sunt, ubi non parum sæpe, fervidissimo anni æstu, ventus de subito in caurum se vertens, aëremque repente refrigerans, quum alios morbos, tum vel maxime hunc, de quo agimus, generat. Eoque factum est, ut tetanus inter morbos Carolinæ meridionalis endemios referretur. Fere vero in primis servos Nigritas, omnibus aëris injuriis patentes, eosque, qui auræ nocturnæ improvide se exponunt, infestat.

Tetanus interdum subito invadit. Quod si fit, æger plerumque intra horam vicesimam quartam, vel tricesimam sextam, vel quadragesimam octavam, moritur. Perpauci tertium diem evadunt, si symptomata a primo statim vehementia fuerunt. Sæpe autem morbus pedetentim & gradatim accedit, sic, ut ii, qui correpti sunt, non tam de dolore acuto, quam de rigore molesto cervicis & scapularum, conquerantur.

Rigor hic paulatim magis & magis increfcit, ægroque, caput circumacturo, vel in priora flexuro, tantam faceffit molestiam, ut recta & immobili cervice stare cogatur. Maxillas sine dolore diducere non potest, cibosque cum difficultate aliqua devorat: quo fit, ut ab assumendis illis absterreatur. Per intervalla sub sterni apice repentinum dolorem sentit, quasi eo loco aliquid introrsum trahatur, quod ad dorsum usque transeat. Eodem momento cervice & scapulæ magis rigescunt, caput retrorsum trahitur, maxillæque arctius clauduntur. Dolor sub sterni apice crebrius ac majore cum vehementia revertitur, cæteræque contractiones adeo invalescunt, ut caput abhinc omnino rigidum maneat. Æger cibos nunc recusat, quod inter devorandum maximis doloribus spasmiisque recidivis corripitur, per spinam ad artus inferiores porrectis, ita quidem, ut hi truncum corporis

diutius sustinere nequeant, isque in lecto decumbere cogatur. Sic primum morbi stadium est, quod nunquam tridui vel quadridui spatium complet. Ægrotus æque, ac qui circa ipsum sunt, primam mali accessionem non, nisi vulgarem quemdam rheumatismum, in cervice incidentem, esse sibi persuadent. Periculi, quod morbus minatur, gradus accessionis modo metiendi sunt. Quo lentiori pede obrepfit, eo major salutis spes est. Si quis nonum decimumve diem evasit, is fere convalescit. Sanguis, in hoc stadio missus, nihil, quod a statu naturali desciscat, exhibet, atque idcirco nihil inde colligere licet. Pulsus solito non velocior, sed durus, alvusque semper adstricta est.

Dolor, quem ab ægro sub apice sterni sentiri diximus, signum tetani pathognomonicum est. Isque, nisi mature levetur, magis ingravescit, & sexta quæque vel quarta horæ parte revertitur. Eodem tempore musculi servicis, omnesque, qui per spinam dorsî descendunt, vehementissimis spasmodis afficiuntur. Facies palefcit & collabitur. Maxillæ hoc ipso momento magnavi inter se colliduntur, osque occluditur. Quod si diducere moliaris, spasmodorum reversio acceleratur. Malum in horas exasperatur, & sub finem miser ægrotus continentibus tormentis discruciat, spasmodis tam celeriter redeuntibus, ut vix ulla observari possit intermissio. Tandem tota musculorum universitas intumescit, ac rigida fit. Quum vero musculi dorsî posteriores prioribus numerosiores sint, eosque superent, spina tam valde recurvatur, ut sinum faciat, arcui maxime similem, cubantis occipitio dumtaxat & calcibus lecto innitentibus. In tristissimo hoc rerum statu (musculis abdominis adeo contractis, ut omnia intestina fursum thoracem versus urgeantur) æger vehementer incalescit, ac sudoribus diffluit, pulsus admodum celer, vehemens, atque inordinatus est, corque

tanta vi palpitat, ut motus ipsius perspicue in oculos incurrat. Maxillæ nunc tam arcte præclusæ sunt, ut nihil omnino potionis ori ingeri possit. Atque ut jam ingeri possit, miser tamen ægrotus eam devorare non potest. Ad extremum spasmi in universo corpore incidunt, morsque tormentorum finem facit.

In terribili hoc morbo nihil, quod crisin, sive bonum exitum, a viribus naturæ effectum, referret, unquam observatum est. Si quid igitur expectare licet auxilii, id omne ab arte expectandum est. Magno curandorum bono experimentis cognitum est, opium in morbo recenti, nec ita violento aliquid levaminis afferre. Sed una cum opio balnea calida, eademque crebriora, in usum vocanda sunt. Oportet autem ægrum in balneo porrectum jacere, ac, dum in eo jacet, perfricari: e balneo sublatum non siccari, sed pannis calidis involvi, atque in lecto collocari: dum in lecto cubat, abdomen foveri, & vesicam, aqua calida ad dimidium repletam, super ventriculum imponi. Alvus interim semper soluta esse debet. Itaque, si adstricta sit, mannam & salem polychrestum, aliumve quem catharticum, cum oleo dulci, & tinctura foliorum senæ, vel, quod fortasse melius respondet, oleum ricini, exhibere convenit. Opii portiones largiores crebrioresque ingerendæ sunt. Neque enim hos ægros stupor inde invadit. Commonemus autem, ne quis tincturæ opii, quæ in pharmacopoliis jam parata prostat, confidat, sed opium solidum præferat, ejus portionem necessariam in liquore aliquo apto dissolvendam curet. Si ingesta difficulter devorantur, vel maxillæ clausæ sunt, opium subter in alvum dandum est: quæ quidem clysmata per totum morbi decursum sæpius repetenda sunt. Recte iis additur oleum. Nec terebinthinam, in vitellis ovorum solutam, sine fructu adjectum iri existimamus.

Quum vitriolum cæruleum in colica nervosa tam

bonos effectus præstet, operæ pretium fore judicamus, virtutem ipsius in tetano experiri. Quis enim scit, an bilis acris, in primis viis accumulata, morbum quadam tenus efficiat? Periculosum certe tale experimentum non est. Et in malis desperatis nova etiam remedia periclitari quid vetat?

Qui mortem evadunt ægri, diu tamen debiles atque infirmi manent. Neque id mirum videri debet, quum ea sit omnium spasmodorum natura, ut summam fibrarum muscularium laxitatem relinquunt. Oportet, ad plenam sanitatem recuperandam, diuturnum corticis balsamique peruviani usum tentare, & spinam dorsii linimentis spirituosis, vel spiritu, ex arundine saccharifera elicto, petroleoque Barbadenfi, inter se commixtis, perfricare. In ipsis autem spasmodis tum hæc, tum omnia alia stimulantia, sive devoranda, sive extrinsecus admovenda, prorsus aliena sunt. Omnia enim illa, sicut vesicatoria quoque, morbum exasperare consueverunt.

C A T O C H U S.

Rigor omnium musculorum, cum anæsthesia conjunctus, vel doloris difficilisque respirationis, quæ tetanum distinguunt, expers, *cathocus* vocatur.

Rarissimus hic morbus est, & longus, quum e contrario tetanus sit acutissimus.

Infantes in primis ac feminas corripit. Infans quidam, recens natus, omnes corporis sani & bene valentis notas exhibuerat. Hebdomada post rigescit, totaque musculorum universitas contractione spasmodica afficitur, accedente anæsthesia. Jacet, velut exanimis, pallet, friget. Inter hæc nonnunquam musculi artuum convelluntur, atque articulos adeo distorquent, ut carpus & tali sedibus suis expelli videantur. Manet hic rerum status per tres quatuorve hebdomadas :

hebdomadas : id quod omnibus , qui spectatum veniunt , stupori , non tantum miraculo , est. Quis enim de vitâ infantis non desperaverit ? Nam nec lac e mammis fugere potest , nec parum sæpe ne ea quidem , quæ ori ingesta sunt , devorat. Præcipuum alimentum præbent juleula carniû , quæ Medicus in alvum ex inferioribus partibus crebro indi præcipit. Sed hoc ipsum auxilium sæpe numero negligitur , liquidem nutrix , omnia in cassum tentari , omnemque horam vitæ tam miseræ supremam fore , persuasum habet. Sed contra omnium expectationem , muscoli sensim flaccescunt , articuli flexibiles evadunt , spasmi desinunt. Infans alimentis uti incipit , corpus paulatim reficitur , confirmatur , pinguescit , artusque , a spasmis tam distorti , ut nemini in perpetuum depravati non viderentur , rectorum gratiam recuperant. Sexto mense post , eandem alacritatem staturæque mensuram , quæ in hujus ætatis infantibus observari consuevit , exhibet. Corporis incrementum pulchre procedit , dentes sine magnis molestiis erumpunt , variolis feliciter defungitur : tandem vero , stimulus circiter , ex peripneumonia moritur. Hoc catochi exemplum a nobis ipsis observatum est.

SAUVAGESIUS catochi exemplum ex GALENO adducit , itemque ex diario aliquo litterario historiam feniinæ , quinquaginta circiter annos natæ , quæ per aliquot annos quotidie rigida omnium musculorum contractione afficiebatur , adjecto sopore tam alto , ut nulla re excitari posset. Tenebat hic status a solis ortu usque ad occasum : quo tempore spasmis agitata , ad se redibat , lacrimas fundebat , alvum exonerabat , cibum , ex vino & pane bis cocto constantem , assu- mebat , per totam noctem vigilabat , & , sole oriente , in rigorem ac soporem recidebat.

Morbus quem SAUVAGESIUS *catochum cutaneum* nominat , ad cachexias referendus , & valde etiam in-

frequens est. Aliquot abhinc annis quidam, illo laborans, in nosocomio Dubliniensi fuit. Cutis paulatim induratur & splendescit, sicut charta pergamenæ, vel cornu tenuioris lamellæ. Balnea calida, & medicamenta, ex argento vivo parata, cum feri lactis, & aquæ, in qua farsæ parillæ radices decoctæ fuerant, potu liberali, ægrum sanarunt.

Ad cachexias etiam is morbus pertinet, quem SAUVAGESIUS *catochum scorbuticum* appellat, *sarcostoseos* nomine potius insigniendus. In hoc muscoli non a contractione spasmotica indurescunt, sed quod contextus ipsorum in naturam, ossæ similem, degenerat, quemadmodum in notabili illo Clarkii cujusdam sceletro apparet, quod Dublinii in Museo Collegii Trinitatis asservatur, atque in *Transactionibus philosophicis* describitur.

CAPISTRUM.

Rigida contractio musculorum, maxillam inferiorem elevantium, quem *spasmus maxillæ inferioris* vulgo vocant, a VOGELIO *capistrum*, a SAUVAGESIO *trismus tonicus* dicitur. Trismus enim apud hunc generale spasmodum, musculos maxillæ inferioris afficientium, nomen est.

Hic morbus vel sponte sine ulla causa evidente nascitur, vel vulneribus, similibusve injuriis externis, tendinum præsertim, vel ligamentorum, supervenit.

Curatio ab iisdem remediis, quæ in tetano proposuimus, petenda est, hoc est, a fomentis relaxantibus, linimentis emollientibus, clysmatibus e terebinthina paratis, oleo ricini, asa foetida, opii portionibus largis & crebris, ac vesicatoriis, transversim super fauces impositis.

In *Observationibus medicis Londinensibus* utriusque capistri exempla referuntur. Quumque ægri auxiliis,

ibi propositis, feliciter sanati fuerint, tum de curandi ratione, tum de accurata symptomatum concomitantium descriptione, Lectorem illuc remittimus.

C A P U T II.

De hydrophobia, ejusque speciebus, & curatione.

CL. NUGENT primus verum *hydrophobia* ingenium explicuit, quæ ante ipsum a plerisque ad inflammationes relata fuerat.

SAUVAGESIUS illam *vesaniis*, sive mentis morbis, annumerat, sed minus proprie. Symptomata enim *hydrophobiae* characteristica ab his, quæ in *vesaniis* observantur, perspicue differunt, neque ægroti inter principia, nisi raro, delirant. Motus ille maxillarum in *hydrophobis*, quasi adstantes morflu corripere capient, nihilo magis a voluntate proficiscitur, quam in tetanicis, adeoque male vulgo ad mordendi desiderium trahitur, a quo miseri ægroti tantum absunt, ut plerumque in intervallis adstantes moneant, ne sibi nimium appropinquent.

Hydrophobia vel morbus primitivus est, sponte nascens, vel animalis rabiosi morbum sequitur. Posterior species priore longe frequentior est, raroque, nisi elapsis a morflu tribus quatuorve hebdomadis, apparet. Quo propius tamen locus, morflu vexatus, a glandulis salivalibus abest, eo citius *hydrophobiae* symptomata ingruunt.

Aliquot diebus ante, quam symptomata accedunt, æger languet, mæret, nec quietem capit, adjecta summa præcordiorum oppressione, somnisque per somnia terrentia tumultuosis. Mox de subito plerumque dolores a loco, quo cutis læsa est, ad fauces

ascendunt, easque constringunt. Æger de strangulationis sensu conqueritur, & liquida devorare omnino non potest.

Symptomati huic, quo liquida devorari non possunt, haud semper ab initio id quoque accedit, ut æger ab iisdem abhorreat. Sunt enim, qui potum ardentissime appetant, variosque modos, & corporis situs ac positiones, experiantur, ut desiderium istud expleant. Sed ægra, cujus Cl. NUGENT mentionem facit, potum adeo perhorruit, ut ne sonum quidem aquæ cadentis, nedum ejus conspectum, sustineret. Spasmi, qui inter initia eos tantummodo musculos, qui devorandis cibis inserviunt, affecerant, in progressu morbi ad alias systematis muscularis partes pergunt, ac plura symptomata, iis, quæ in tetano apparent, similia, pariunt. In viris, corporum robore vigentibus, plerumque priapismus, vel ipsa satyriasis, accedit.

Miserrimus hic morbus eadem, quæ tetanus, auxilia desiderat, hoc est, largas opii portiones, subinde repetendas, quibus spasmi sopiantur. Neque vapores calidos nihil profuturos esse auguramur, si in fauces deriventur, sic, ut spongiæ, aceto fervente madidæ, ori naribusque continenter admoveantur. Ægræ Cl. NUGENTI multum sanguinis detractum est, ac præterea moschus & cinnabaris æque, atque opium, liberali manu exhibita sunt. Sub finem curationis opium cum camphora, moscho, asaque foetida datum est. Sed præcipuam opem pollicetur opium. Oportet igitur illud, quam fieri potest, citissime in usum vocare, neque in os solum ingerere, sed in alvum etiam ex inferioribus partibus indere, extrinsecusque in emplastris, linimentis, vel cataplasmatibus, admove.

Si quis a cane, aliove quo animali rabioso, morsus est, ad aquæ timorem præcavendum optime facit

unguentum, ex argento vivo confectum, quo vulnus minutatim ita perfricetur, ut levis quidam ptyelismus moveatur, qui in aliquot hebdomadas protrahendus est. Ægri in mare projectio, pulvisque antilyssus Londinensium, sæpe successu caruerunt, id quod exemplum *Elisabethæ Bryan*, a Cl. NUGENT relatum, vel maxime demonstrat.

Hydrophobia, uti jam diximus, nonnunquam sponte nascitur. Levior ejus gradus interdum in hystericeis observatur, qui, quum summa cum difficultate devorent, vix adduci possunt, ut aliquid liquidi assument.

C A P U T III.

De convulsionis, epilepsiæ, eclampiæ, & τρεῖς νόσοι species atque curationibus.

IN spasmis, de quibus hactenus diximus, musculi fere contracti manent: unde *tonici* appellantur. In quatuor autem illis generibus, quæ nunc describemus, violenta musculorum agitatio est, & natura noxiæ cujusdam materiæ expulsionem moliri videtur: unde *spasmi clonici* nominantur.

C O N V U L S I O.

Vulgo omnes spasmorum clonicorum species *convulsiones* vocantur: sed hic convulsionis vocabulo eas tantum musculorum universi corporis agitationes significamus, quæ fortuito incidunt, nec laborantem sensuum integritate privant. SAUVAGESIUS sexdecim huic generi subjecit species, quarum descriptiones ii, quibus convulsionem curandæ sunt, non sine

fructu consulent. Nos paucas dumtaxat proponemus.

I. *Convulsio ab inanitione.* Profusis excretionibus, vel exinanitionibus, facile succedunt convulsiones, quæ conatus naturæ esse videntur, quos ad vitam protrahendam adhibet, sanguinem, in vasis minoribus per systematis vascularis peripheriam stagnantem, in vasa majora ad centrum urgendo.

Auxilia pharmaceutica hic nullius usus sunt: sed id agendum est, ut vasa exinanita repleantur, & liquoris nervei jactura reparetur, juscula tenuiora subinde ea mensura, quam ventriculus commode ferat, exhibendo.

II. *Convulsio traumatica*, quæ vulnere, aliasve injurias externas, sequitur. Oportet, post largam pro re nata sanguinis detractionem, cataplasmata emollientia, fofusque ac litus relaxantes admove, alvum ducere, opiumque, cum aliis valentibus medicamentis antispasmodicis, ut moscho & asa foetida, confociatum, exhibere.

III. *Convulsio verminosa.* Convulsiones sæpissime a vermibus nascuntur, maximeque in pueris. Ubi hæc illarum origo satis apparet, ad anthelminthica, sicut in aliis morbis, quos vermes excitant, confugiendum est.

IV. *Convulsio plethorica.* Qui excretionibus, per circuitus redeuntibus, assueti sunt, his suppressis, in convulsiones nonnunquam incidunt. Curatio idoneas exinanitiones, atque excretionis suppressæ restitutionem desiderat. Quæ ratio est, cur in puellis menstruorum initium convulsiones sæpius tollat.

EPILEPSIA.

Epilepsia a convulsione hoc differt, quod omnes in ea sensus intercipiuntur; quod per circuitus, quamvis non semper certis intervallis, revertitur;

quod longus morbus est, qui per plures sæpe annos ægrotum sic affligit, ut vitæ periculosus non sit.

Qui epilepsia corripiuntur, subito concidunt, omnis omnino sensus expertes, iis, qui apoplexia tacti sunt, similes. Non autem, sicut hi, quieti, tamquam alto & gravi sopore oppressi, jacent, sed contra tota musculorum universitas spasmis tam violentis agitur, ut adstantes ægrum impedire vix possint, quominus noxam sibi inferat. Quod si in vigore accessionis lingua dentibus interferitur, morsu vexatur, vel interdum particula ejus aufertur.

Vis convulsionis tanta nunquam est, ut urina, stercus, & semen, ex receptaculis suis, sanguisque ex narium & aurium vasibus exprimatur. Atque in leviori etiam malo semper plurimæ spumæ ex ore moventur.

Spatium accessionis incertum est. Sed, finita violenta illa corporis agitatione, æger quietus jacet, quasi in somnum delapsus, una alterave hora post, ad se revertitur, omnium, quæ acciderant, immemor, & lassitudine ac languore confectus.

Plena omnium sensuum interceptio signum epilepsiæ veræ pathognomonicum exhibet, ad quod si attendas, facile cognoscere poteris, an morbus simulatus sit: id quod a planis improbis in nosocomiis militariibus, atque a mendicabulis circumforaneis, ad misericordiam movendam, & stipem eliciendam, factitari consuevit. Deprehenduntur, si quid, quod valde stimulet, velut spiritum falis ammoniaci acerrimum, naribus admoveas, vel partem aliquam, teneriori sensu præditam, leviter pungas.

Vulgo accessionum recursus interlunio ac plenilunio tribuunt. Sed, ut hoc perquam incertum est, ita dubitari non potest, quin omnis immoderatio, sive cibi ac potionis, sive exercitationis, sive animi affectuum, ad illos accelerandos quam maxime faciat.

Pauci morbi sunt, qui a parentibus facilius ad sobolem transeant, quam epilepsia. A vehementi quoque terrore in junioribus nata est. Cl. LOCHERUS, Medicus Vindobonensis, ex quatuordecim epilepticis, in nosocomio D. Marci curatis, sex fuisse refert, in quibus terror morbum effecerit, unum, in quo ictui capitis adscribendus visus sit, & feminam, in qua a menstruis subito suppressis originem traxerit: in sex reliquis causam mali detegi non potuisse.

Epilepsia, per infantiam nata, nisi mutationibus illis, quæ pubertatis tempore in utroque sexu contingunt, solvitur, metus fere est, ne usque ad mortis diem permaneat.

In cadaveribus epilepticorum incisis varia reperta sunt, a quibus origo morbi repeti possit, velut cerebri meningumque duritiæ, superficiiei cranii internæ caries, ejusdemque exostoses, cerebrum prementes, seri, vel puris colluvies, vel quædam, e terra concreta, intra calvariam latentia, aliaque plura, a BONETO, MORGAGNIO & LIEUTAUDIO commemorata.

Quæ in epilepsia nonnunquam responderunt remedia, fere empirica fuerunt, variaque variis temporibus hoc nomine prædicata sunt, nominatim cranium humanum, ejusque, quam vocant, usnea, ungula alces, viscum quernum, oleum animale Dippe-
lii, ac nuperrime malorum aureorum folia, in quibus Medici Vindobonenses proprium adversus hunc morbum remedium posuerunt. Foliorum quantum manu comprehendi potest, ex libra aquæ decoquitur, eaque decoctio in duas portiones æquales dividitur, vel foliorum siccorum contritorum drachma dimidia bis in die devoratur. Vitriolum cæruleum sic exhibitum, ut singulæ portiones singula, vel bina grana haberent, interdum auxilio fuit. Cortex peruvianus, & radix valerianæ silvestris, cum cinnabari,

in electuarius redacta, epilepsie progressum ad aliquod tempus remorantur, atque in spasinis minus inveteratis stabile auxilium promittunt.

Diuturnior usus aquarum mineralium, ex quarum ingenti varietate ex eligenda sunt, quæ maxime conveniunt, serum lactis caprilli, aqua marina cum balneis frigidis, fonticuli inter scapulas inusti, sed ita, ut nunquam coire sinantur, setacea, per cervicem tracta, medicamenta, quæ alvum molliant, subinde exhibita, & vomitoria, quæ saburram in ventriculo accumulari prohibeant, sanguinis denique detractio, quoties humores nimium abundant, ad levandam atque moderandam accessionum vehementiam plurimum valent. Victus levis esse debet, & qui minime stimulet, animusque, quantum fieri potest, omni turbido motu vacuus servari.

In ipsa accessione nihil aliud, quam cavendum est, ne æger semet ipse lædat, in primisque ne lingua dentibus interferatur. Quidquid enim ad illius spatium contrahendum, vehementiamque spasmodorum infringendam suscipitur, irritum est.

Epilepsiam in species diducere, perparum ad curationem facere videtur, tametsi SAUVAGESIUS quatuordecim exhibuerit. Sola *epilepsia uterina*, sive *hysterica*, propiore consideratione digna est.

Proprie feminas, temperamento hysterico præditas, invadit, atque a vera epilepsia ægrotantis sexu, & quod ipsam antea aliis symptomatibus hystericis obnoxiam fuisse constat, distinguitur. Quamvis ægra subito corripiatur, &, sicut in vera epilepsia, concidat, artusque spasmis æque violentis agitentur: sensus tamen raro penitus intercipiuntur. Ægra plerumque per accessionem vociferatur, ridet, vel verba quædam incondita effundit. Oritur epilepsia uterina fere a menstruis suppressis, accessionesque circa id tempus, quo illa ferri oportebat, potissimum ingruunt.

ECLAMPSIA.

Eclampsia ab epilepsia discernitur, quod accessio fugax tantum est, quod per circuitus non redit, nec per annos durat. De cætero utriusque morbi accessionem eadem prorsus comitantur symptomata, eadem spasmodorum vehementia, eadem anæsthesia.

Dubium videtur, num eclampsia tamquam peculiare morborum genus consideranda sit. Ex septemdecim enim illis speciebus, in quas a SAUVAGESIO dividitur, ne una quidem est, quin *symptomata*, sive *secundaria*, sit, alii cuidam morbo superveniens. Neque tamen, si hujus generis ægri curandi sunt, distinctiones istæ non utiles erunt.

HIERA NOSOS.

Hiera autem *nosos*, sive *morbis sacer*, ideo sic appellatus, quod incantamentis, vel causis, extra naturæ ordinem positis, tribuitur, peculiare morborum genus constituit, sed rarissimus est. Contigit nobis aliquando illum videre in adolescente septemdecim circiter annorum, qui tunc temporis plus duodecim jam annos eo laboraverat. Corpus continuis spasmodis adeo distortum, artusque ita depravati erant, ut insolita ipsius figura verbis describi non possit. Musculi assidue & sine intermissione agitabantur. Cæterum æger de nullo, neque dolore, neque alio quodam incommodo, querebatur. Sensus integerrimi erant, ita quidem, ut mater, quæ scholam, in qua pueri legere docebantur, aperuerat, administro illo uteretur.

Chorea S. Viti levior *ἑπὰς νόσον* gradus esse videtur.

TABULA SPASMORUM GENERALIS.

GENERA.	SPECIES.
I. Tetanus.	1. Episthotonos. 2. Opisthotonos.
II. Catochus.	
III. Capistrum.	1. Spontaneum, sive primitivum. 2. Secundarium.
IV. Hydrophobia.	
V. Convulsio.	1. ab inanitione. 2. traumatica. 3. verminosa. 4. plethorica.
VI. Epilepsia.	
VII. Eclampsia.	
VIII. Hiera nosos.	

